

q 4. Reg. 23. 2. & 2. Par. 34. 8.

r Mar. 9. 43. 45. 47.

s Deuteron. 32. 24.

t De bell. 1. 3. c. 14.

u Jerem. 22. 39.

x Vide Selden. de Synedr. & nos etiam in Levit. 21. pag. 261.

y Exod. 21. 29. 32. z Levit. 24. 14.

(g). Author Ecclesiastici hæc habet cap. 7. 22. Vindicta carnis impii ignis, & vermis; quibus verbis præ oculis habere potuit noxiarum de supplicio deposita cadavera, quæ sub dio relicta vermium erant vel ignis pabulum. Tradunt enim perpetuum servari ignem consuevisse in valle Hinnon ad Jerusalem, quo cadavera, ne forte contagione aerem corrumperent, absumerentur. Ad hunc Ecclesiastici locum spectans Jesus Christus, Infernum sub gehenna nomine signans, testatur, nec vermem impiorum interitum unquam, nec ignem extinguendum (r). Nulla erat miserabilior atque foedior poena apud Judæos, quam ut corpora inhumata omnibus Cæli Terræque injuriis exposita relinquerentur. Quemadmodum enim nihil erat domesticorum fidei magis commendatum, quam ut mortuorum corpora funere, & sepulturâ curarent; ita foedius nihil habebatur, quam ut projecta sub dio cadavera avibus, & bestiis in ludibrium traderentur. Quare inter cætera quibus Deus animadversurum se in populum pervicacem minatur, miserimum hoc addit, relicturn scilicet eorum cadavera, omnibus Cæli vicissitudinibus exposita (s). Josephus perhibet honore sepulturæ eos tantum privari, qui sibi manus violentas intulissent (t). Quin & illa totâ die beftiarum injuriis exposita, noctu verò sepulturæ mandabantur. Jeremias eò malorum deventurum Regem Joakim filium Josie prædicat (u), ut defunctum ejus corpus sepulturâ sibi sepeliretur, i. e. projiceretur in agrum tanquam morticinum aliquod. Animadversione tamen dignum est, Moysis Lege poenam illam nunquam decerni, ut sepulturæ honore neque privari illos jubeat, qui crucis supplicio sublati sunt; eos enim ultra diem in supplicio vetat relinqui, nisi peculiaris alioque ratio aliter cum aliquo agendum suadeat. Quin nec ulla in Lege excipitur causa; quare hujus Legis exceptio ab aliis potius adjecta, quam à Moysè assignata censenda est.

LAPIDATIO.

Hebræorum Doctores, ingenio semper suo indulgentes, fabellis venditandis in hoc argumenti genere sicut in alio quocunque incumbunt (x). Lapidibus enim hominem perimere, tantumdem apud illos, ac apud cæteras gentes omnes non sonat. Damnatus igitur ad lapides, ita rem tradunt Judæi, in saxi cujusdam, altitudine duorum hominum eminentis, crepidine stangebatur, unde à duobus testibus præceps agebatur in saxa. Si post lapsum adhuc superstes spiraret, lapidibus à reliquo populo conficiebatur. Porro hoc supplicii genere 18. crimina pledebantur, quæ scilicet in Lege capitali supplicio subiecta sunt, nihil tamen de genere mortis adjecto. Infame erat, si quod aliud unquam apud eas gentes, quo vel bovem plecti homicidio reum Moyses in Lege præcepit (y). Eodem etiam Moysè referente, lapidatione confectus est vir blasphemus (z), sicut & alter, qui ligna die Sabba-

ti colligebat [a]. Nabot vir justus parem supplicii poenam Jezabele mandante toleravit (b); parem Adurnam tributorum Præpositus sub Salomone (c).

Ex hisce omnibus exemplis frustra argumenta quæreremus Rabbiorum fidei adstruendæ, cum maximè contraria omnia demonstrent. Moyses, justus à Deo, cavet, ne quis unquam ad montem Sinai accedere audeat; animadverti in contumaces jubens vel lapidibus ab universo populo jactis, vel sagittis; cavet autem ne manus tangat eos (d), nec quispiam remove illum ab eo loco præsumat. Nihil autem eorum, quæ à Rabbis produntur, apparet sive apud Josephum, sive apud Philonem. Lapidibus Jesum Christum conficere vel in ipso Templo Judæi tentarunt [e]; confectus est & Stephanus in loco extra urbem Jerusalem (f); penè tandem confectus S. Paulus in urbe Lytrâ (g). Foemina adulterii ream, sibi à Judæis adductam, lapidatione ab eo primùm plecti Jesus præcepit, qui nullâ criminis conscientiam tangeretur (h). Quænam, rogo, hic de noxiis de saxo in præceps actis, ex Judæorum sententia, mentio?

Exemplis viri blasphemii, tum & violati Sabbati rei, sicuti & Achan & S. Stephani instrumur, huic inferendo supplicio locum extra Urbem designari. Moyses [i] ita cum illo agendum præcipit, qui populum ad idololatriam induxisset; id autem vulgò extendendum creditur ad noxios universos, ut scilicet extra Urbem rapti ultimo supplicio perimerentur.

Ita etiam cum Jesu Christo servatum novimus, qui extra Urbem Jerusalem crucem toleravit. Non tamen hanc generalem regulam usque adeo obtinuisse crediderim, in lapidatione maximè Judicio, quod Hebræi appellant zeli, nec expectatâ quidem Judicium sententiâ, decretâ.

PRÆCIPITES E SAXO ACTI.

Saxo, sive de turri præcipites acti quidam in Scriptura memorantur, quavis non illud fuisse vulgare, & consuetum Hebræorum supplicium Tribunalibus familiare persuasum habemus. Amasias Rex Juda eo genere mortis 10000. Idumæos in bello captos peremit (k); quod idem factum, ut scilicet de saxo Horeb præceps ageretur, subijisse creditur Rex ejusdem nominis in prælio cum Madianitis à Geodeone commissio captus (l). Jezabel de mœnibus Israel præceps acta est mandante Jchu (m). Eo crepidine montis sui eandem inferre necem Jesu Christo Judæi Nazareni tentarunt (n). S. Jacobus Justus ex editissimo Templi loco in vallem subiectam dejectus est. Zacharias filius Baruch, in ipso Templi centro à Zelotis occisus, deinde in voragine ad radices Templi patentem proturbatus est (o). Sed hæc extraordinaria sunt poenarum exempla, neque Legis, neque certi alicujus Tribunalis autoritate fulta.

Novum aliquod supplicii genus nuspiam in V. T. occurrens, legitur Matth. 18. 6. quomodo-

a Num. 15. 32. 35. b 3. Reg. 21. 14. c 2. Paralip. 10. 18.

d Exod. 19. 13.

e Joan. 8. 59.

f Act. 7. 57. g 2. Cor. 11. 25. h Joan. 7. 8.

i Deut. 18. 6.

k 2. Paralip. 25. 12.

l Judic. 7. 25.

m 4. Reg. 9. 33.

n Luc. 4. 29.

o De Bell. 1. 5. c. 1.

tempore fontes ampliori aliquo ad collum saxo alligato, in mare projicerentur, in quem Evangelistæ locum scribentes Grotius & D. Clericus autumant nunquam obtinuisse apud Hebræos, ut eo supplicio, quod familiare apud Syros censent, fontes perimerent. Professio vel inusitatum fuit Hebræis, vel nonnisi post Regnum Syrorum in Judæa notum.

SUPPLICIUM SERRÆ.

In fœti supplicii, Serræ nempe, exemplum simul & argumentum ipse in se Propheta Isaias exhibet. Apostolus de SS. Veteris Testamenti agens, qui virtute sua, & infractio animi robore mortem ipsam & tormenta vicerunt, inter cætera serram tolerasse illos memorat. Sedit in fœti (p); quod ab illo de Isaiâ eo supplicii genere perempto à Manasse dictum traditione apud Judæos, aequè ac Christianos receptâ, certum est. Id autem fuisse Prophetam narrat, quod vidisse dominum Throno assidentem professus est (q). Tostatus in dubium revocare eam traditionem nititur, quod scilicet Propheta in exordio Libri sui cæteris memoratis Regibus, sub quibus oracula fudit, nihil habeat de Manasse. Sed hæc contra receptam traditionem infirmiora sunt; potuit enim Propheta morte occubuisse vix inito à Manasse Regno, cum scilicet nulla adhuc fuisset sub eo oracula.

Nec Judæi veteresque Patres in eo tantum conveniunt; ut serrâ dissectum Prophetam illum tradant, sed & instrumentum illud ligneum fuisse, non ferreum, unanimi consensu perhibent. Ita planè memoriæ proditum reliquerunt S. Justinus Martyr (r), S. Hieronymus, Author Carminis in Marcionem lib. 3. ac tandem totius Ecclesiæ nostræ ætatis consensus, cui temerè prorsus refragaremur. Hunc porro Martyrem si in duos partes dissectum sic aliquâ ferreâ crederemus, quemadmodum & cum aliis Martyribus Tyrannorum jussu factum constat (s), ut scilicet transverso corpore secarentur, res esset prona & creditu facilis; cum autem sensus corpus sic lignè à summo capite ad imum usque ventrem, sive ab imo ventre usque ad caput (t) dissectum narrent, rem tradunt rationi profus repugnantem. Qui enim fieri poterit, ut ossa ferræ prorsus duritatis, quæ vix ferro cedant, sic lignæ per via fuerint? Equis, rogo, ferram ligneam fabricavit unquam? Cui usui? scindendo ne lapidi, marmori, ossibus? Quare ita asserenda est huic traditioni fides, qua dissectus Propheta sic lignèa teneatur, ut simul cum ratione concilietur.

Septuaginta, & S. Hieronymus sicarum nomine machinas quasdam non rarò designant ad usum excutiendi tritici olim fabricatas. Constabant autem immanibus quibusdam trabibus, ferreis cuspidibus sive lapidibus instructis, quæ super manipulos trahabantur, vel saltem vehicula erant, ferro armata, in eundem usum. Ita enim Virgilius (u) sicuti videtur in oratione

Tarda que Eleusina. Matris volventia plaustra Tribula arabeaque. Ita etiam Isaias 4. 15. Posui te quasi plaustrum novum, habens vofra serrantia. Et 28. 7. non in ferris triturabitur gith. Porro gith triticum est imbecillius, minus ferrens harum machinarum pondera. Paria legitur 2. Reg. 12. 31. quod maximè nostrum intentum convincit. Post relatum à Davide insignem de Ammonitis victoriam, occupatamque Rabbat ejusdem regionis Metropolim, victoriâ suâ Rex impotenter usus, populum adducens ferravit, & circumegit super eos ferrata carpenta. Ita ferè legant etiam Septuaginta: Et populum, qui erat in ea, eduxit. & posuit in serra, & in tribulis ferreis, & in securibus ferreis. Originalis Textus sine controversia eadem instrumenta exprimit S. Hieronymus similem textum. 1. Par. 20. 31. reddit: Tribulos, & trabas, & ferrata carpenta.

Non abs re igitur credimus serras illas, quibus confectos Veteris Testamenti quosdam justos viros Apostolus testatur; ipsissimas esse machinas hucusque descriptas. Neque alias designasse ferrâ credimus Judæos, & Patres; cum enim de Isaiâ lignèa serrâ perempto testatum reliquerunt, aliam planè quàm vulgarem serram concipere nos jubent.

At enim vox Græca episthesa ad litteram sonat vulgari serrâ discindi; quare non nisi metaphorico sensu expressum in Textu Apostoli alterius supplicii genus videretur; neque enim nisi per metaphoram sciti dicerentur; qui sub tribulis & trahis conteruntur. Sed hisce reponimus, potuisse Apostolum Græco verbo uti eodem planè sensu ac Septuaginta; quare sicut Interpretes illi eâ voce contritos viros sub trahis expresserunt; ita planè & S. Paulus in eundem sensum vocem usurpavit. Porro scitum esse idem sonat Apostolo; ac ipsissimum verbum apud Vulgatum & Septuaginta, apud quos si metaphorico & minus prono sensu acceptum dicatur, idem & de Apostolo non injuriâ sentire possumus. Scindat igitur vulgaris serra, diffindat lapides & ligna; altera verò, de qua agimus, serra conterat, conculet, comminuat; quid inde? De utraque usurpatum est verbum secare. Ad hæc ostendimus in superioribus, illud supplicii genus non ignotum Hebræis fuisse; quare nihil est, quod nostrâ interpretationi adversetur. Dicere etiam ausim, nunquam fieri potuisse, ut res aliter se habuerit, aliquam universam traditionem abjiciamus oportet.

Si de serra ferrea ageretur, aliter quidem à nobis differendum fuisset; illud enim supplicii genus notum Antiquis satis constat. De Thracibus ita Valerius Maximus 1. 9. cap. 4. Extern. Neque viros homines medios secare, neque parentes liberorum vestri corporibus nefas fuit. Idem etiam assignatum supplicium certis quibusdam criminibus puniendis lege duodecim Tabularum infinuatur; quamquam rarò



x Aul. Gell. l. 12. Noct. At. sic. cap. 2.

y Vide 1. Reg. 15. 31. 33. Exod. 19. 24. Et 2. Reg. 6. 8.

z Judic. 8. 16.

a Tit. Liv. 1. 4. Ad vociferationem eorum, quos sub crate necari jussit, concursu facto. b Plaut. in Pseudulo Scen. Ain tu. Et. Aug. Quid agit, aut orat? Expedi Mi. Sub cravim ut jubeas sese supponi, atque ad lapides imponi multos, ut sese neces. c 2. Reg. 8. 2.

d Vide Josephum l. 2. contra Apion. in lat. e Vide Porphyrum de Abstinentia. l. 2. pag. 227.

rard aded contingeret, ait Aulus Gellius, ut executioni mandaretur, quod neque nostram neque priscorum saeculorum memoria factum unquam noverimus (x). Scitum est tamen, auctore Suetonio in Caio Imperatore Cajum Caligulam viros quandoque non vulgares caveis quibusdam ferreis detinuisse, veluti animalia quadrupeda; interdum etiam ejusdem generis homines medios serrâ dissectisse. Huc etiam spectatum à Daniele crediderim cap. 13. 55. cum impiorum illorum Senam alterum allocutus: Angelus Dei accepta sententiâ ab eo scindet te medium. Malus ille servus, de quo Matth. 24. 51. medius abscessus est, & inter hypocritas ejectionis. Sabacus Aegypti Rex per quietem admonitus est, ut Sacerdotes omnes Aegypti medios præcideret, ait Herodotus l. 6. Mulier quaedam apud Aristophanem præto se esse dicit ut media scindatur; Nec aliud facile spectant phrasas illæ Scripturæ concideret in frustis (y), quæ pro occidere usurpantur.

SUB SPINIS, SIVE ANIMALIUM PEDIBUS CONTERERE

QUAM Gedeon de civibus Socot executio, ultio ejusdem esse videtur rationis, ac illata à Davide in Ammonitas, & in Isaiam à Manasse. Cum enim Gedeon victor à Madianitis regrederetur, ejusdem Urbis Optimates captos, sub tribulis & spinis deserti contrivit, nempe super tribulos & spinas, quas super miseris illos homines instravit, trabes sive lapideas trahas induxit (z). Ita planè Romanis moribus receptum, cum noxios sub crate necabant; noxium enim crate operientes, immanes dein lapides superinducebant. Familiare erat supplicium apud Romanos (a), nec ignotum Carthaginiensibus (b); sicut & priscis Germanis. Solemne enim erat postremis hisce gentibus, ut ignavos, & imbelles, ex corpore infamescano ac palude, injectâ insuper crate mergerent.

Porro ad unum aliquod ex suppliciis hucusque descriptis referenda sunt ea, quæ Moabitæ prælio victi, à Davide tolerarunt [c]: Percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coaquans terra; mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum. Sed quale istud genus mortis in Moabitæ decretum? Conjecturis agendum est, silente Scripturâ; sed cum in terram prostratos legamus, facilem ducimus conjecturam simili in illos supplicio animadvertum fuisse, ac olim in Ammonitas; vel saltem pedibus bestiarum fuisse proculcatos; quod satis priscis moribus erat familiare. Ita conculcari jussit pedibus Elephantum Alexandrinis Judæos Ptolemæus Phiscon Rex Aegypti (d); sicut & paria in desertores, & rebelles Reipublicæ tam cives, quam externos intulit Amilcar, insignis copiarum Carthaginiensium Imperator (e). Eo spectans Michæas Propheta 4. 13. Dominus, ait, congregavit eos quasi fanum area. Surge, & tritura filia Sion, quia cornu

tuum ponam ferream, & angular tuas ponam areas, & comminues populos multos. Cum exercitus Alexandri Regis Judæorum in loco iniquo & petroso in insidias Arabum incidisset, jussu Obedæ Regis ejusdem gentis, totus pedibus Camelorum proculcatus est (f). IN CINEREM DEJICERE.

IN 2. Macc. 13. 3. aliud supplicii genus legimus, quo scilicet noxii in cinerem deturbarentur. Turres erant editæ, ad hoc instructæ, ut aggestum cinerem vel pulverem continerent, in quem noxii præcipites acti suffocabantur. Porro hoc supplicii genus Hebræis inauditum; ceteris finitimis gentibus familiare erat. Antiochus Eupator (g) ex edita 50. cubitorum turri in subiectum cinerem dejici jussit proditorem Ménélaum. Alia ejus generis exempla à profanis Scriptoribus deducta congestimus in nostro Commentario in Maccabæos. Primus ejus supplicii auctor Darius Ochus asseritur (h). Sunt qui mendose Ochum pro Dario Hytaspis positum assererent. Neque ego quidem alium quam Darium Hytaspis intelligo; quem & Valerius Maximus Ochum appellat; & eotiam nomine designatur Esth. 1. 1. quo in loco Darius Hytaspis Assuerus, vel Ahasverus, (idem est ac Ochus) nuncupatur. Darius igitur ille post adeptum conjuratione Regnum, cum sacramenti arctissimi religione seu obstrinxisset, ne conjurationis socios ullo unquam violentæ mortis genere, non veneno, non ferro, non fame perimeret; vereretur autem, ne quid simile in sese attentari pravo illo exemplo contingeret, datæ fidei eludendæ consilio, novum istud supplicii genus invenit. Parari enim jussit voragine quamdam cinerem aggesto oppletam; tum miseris constituit super trabem ad utrumque voraginis latus pertingentem, iquo scilicet infomnum largiori cibo potique ingesto resoluti, in subiectum cinerem decidentes suffocarentur.

NOXIOS DECALVARE.

JUDÆI, gens comata, soleme habent, ne unquam, nisi in summis æramnis, vel in publico privatoque luctu eandem comam deponant. Veritum etiam illis ducunt nonnulli, ne in funeribus lugendis calvitium inducant; quod ex prava Legis interpretatione inferre sibi videntur. Ita enim in Lege Deut. 14. 1. Nec facies calvitium super mortuo, quod de Adonide, sive Osiride ita per contemptum appellato intelligendum esse alibi demonstravimus. Sed in lugendis funeribus comam deposuisse Judæos nullus dubito. Depondere etiam cogebantur noxii, cum scilicet probrosâ hac & servili notâ afficiendi censerentur. Ita à Nehemia factum cum Judæis, qui Philisthæas Azotitas mulieres duxerant (i): Objuravi eos, & maledixi, & cecidi ex eis viros, & decalvavi eos. Quanto autem probro nota illa ducetur,

f Antiq. l. 15. cap. 21.

g 2. Macc. 13. 5. Erat in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris; hac prospectum habebat in præceptis, inde in cinere dejici jussit sacrilegum. h Valer. Max. l. 9. c. 2. de crudelit. exter. art. 6.

m Vide Comment. in Deut. 1. 15.

i 2. Esdr. 13. 25.

k Isai. 3. 17.

l Epist. 77. ad Nemesian.

m Vide Comment. in Deut. 1. 15.

n Deut. 17. 5. 6.

o Act. 7. 57.

eur, id, si alibi uspiam, in ultione intelligimus à Davide exactâ in Ammonitas reos dimidiata barbæ atque detonsæ comæ legatorum ejusdem Regis. Ille enim bellum fatum huic genti indixit, devictosque habuit iniquissimè. Deus calvitium se inducendum minatur in filias Sion (k), quo scilicet nimium illarum fastum, & vestium affectatam pompam ulcisceretur. Judæi in Libro, quem de Generatione, seu Vita Jesu Christi, impudentissimis calumniis infertum obruserunt, venditant eâ ignominia notâ à patribus suis olim Servatorem nostrum traductum fuisse, oblioto insuper neficio quo liquore vertice, ne scilicet comam unquam reparari contingeret. Tandem illud nobis silentio premeendum non est, eandem ignominia notam apud ceteras etiam gentes obtinuisse. Ita cum SS. Martyribus aliquando servatum; qui pariter interdum dimidio tantum rasi per contemptum producebantur. Gloriosos illos fidei assertores affatus S. Cyprianus, Semitonis capit, ait, conspectus horrescit; sed cum sit viri caput Christus, qualemque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est (l). Pius S. Præfatus officii viri illi sanctissimi gratificati, responderunt, ipsum plenis Christianâ charitate epistolis suis id effecisse, ut semitoniscapitis capillaturam adæquaret.

SUINE ERANT HEBRÆIS CARNIFICES?

UT Differtationem hanc nostram omnibus absolvamus numeris, brevi agendum est de Justitiæ ministris apud Hebræos. Carnificum munus tanquam illiberale, & ignominiosum, nunquam, quantum scio, in Veteri Testamento notatur. Viri quos Soterim appellabant [m], carnificum loco apud Interpretes bene multos habentur. Assunt enim Tribunalibus, flagris, & bacillis armati; quemadmodum & de Licitoribus Romanos Magistratus comitantibus, quod puniendis noxiis ubique præsid essent, memoriæ proditum legimus.

Sed munus illud Soterim aded non vile nec illiberale apud Hebræos habebatur, ut potius in eorum ordine recenseri honorificum ducerent. Sæpe qui illud experient ex Levitarum familia petiti sunt; edicenda illis dabantur edicta Principum, & Magistratum, eorumque urgebant executionem; nomine & autoritate Principis dabant mandata, atque ut parerent poenæ terrore cogebant.

Aliquando apud Hebræos potissimum exequenda Judicium sententiæ munus testibus ipsis committebatur. Cautum est in Lege, virum sive foeminam Israelem ad idololatriam incitantem extra Urbis portas raptari, quem deinde manus testium prima interficiet, & manus reliqui populi extrema mittetur (n). Ita servatum novimus cum S. Stephano, cujus accusatores, positus apud Saulum qui deinde Paulus, vestibus, paratos se injiciendis in virum Sanctum lapidibus præbuerunt (o).

Differt. Calmet. Tom. I.

Jesus Christus aculeatores foemina adulteræ affatus, primum inter eos lapidem injicere in foeminam jubet, qui nullius commissi criminis haberet conscientiam (p). Idem factum scimus in fumendo de blasphemio, atque de Sabbati violatore supplicio (q); idem & in Achan, & Nabot, quos populus universus lapidibus confecit (r). Si quis datâ operâ homicidium perpetrasset, hunc necessariis viri defuncti permissum, eorum arbitrio occidendum, Moyses tradit (s). Si vir uxorem tantquam ante nuptias corruptam per injuriam accusasset, in hunc ipsis Seniorum Urbis manibus animadvertendum idem Legislator edicit (t). In his sanè vestigiis nullum probri apparet, nihil etiam quod ingenuum & liberalem hominem non deceat.

In supplicio ignis inferendo, juxta Rabinos, ipsi suis manibus testes lineam, fasciam collo noxii circumvolutam trahebant, quod scilicet per ductum os liquidum plumbum in ventrem transmitteretur. Noxio etiam jugulando funem nemo stringebat alius nisi testis. Sub Josue militibus commissum fuisse creditur, ut quinque Reges Chanaanos detruncarent, tum & in patibulo suspenderent (u). Samuel alienum non duxit, si manus ipse violentas injiceret in Agag Regem Amalecitarum, cui Saul antea pepercerat (x). Ipse Saul deterreri suos virorum dignitate intelligens ne gravius aliquid in Sacerdotes Domini auderent, Doeg Idumæum in illos incitavit (y). Infames illos Isbosethi paricidas occidi à suis, atque in patibulo suspendi David præcepit (z); quam etiam mortis poenam inferri ab illis voluit in eum, qui de nece Saulis nuncium attulerat (a). Gabaonitæ non alio quidem administro usi sunt, dum posteros Saul coram Domino in crucem agerent, acceptam ab eo Principe injuriam insigni injuriâ rependentes (b). Banajas filius Jojada à Rege Salomone justus, remoturus Joabum ab asylo Altaris, abstractamque ex Regis præcepto gladio confosurus venit (\*). Sub Regibus Juda & Israel militibus plerumque commissum, ut capitales sententias executioni mandarent. Mathathias vir ille fortissimus Machabæorum pater, apprehensum suâ manu virum Judæum in sacra Idolorum irruentem transfodit (c). S. Joannes Baptista carnificem expertus est Regis Herodis spiculatorem (d). Tandem Jesu Christo in crucem agendo Romani milites manum admoventur (e). Zelota, referente Josepho, in postrema Urbis Jerosolymitanæ obfisione detentos in carcere Antipam & Sophnam, viros regali sanguine natos, capitali supplicio damnarunt, muneris executionem Joanni, viro inter suos primario (f), unâ cum aliis decem committentes.

Neque Licitorum munus infame apud Romanos unquam habitum est; quamquam & alligare reum, & cædere noxios, detruncare, atque in patibulo suspendere, capitali supplicio damnatos, ad illos pertinere. Hinc solemais illa formula: I, L., S. stor,

p Joan. 8. 7.

q Levit. 24. 14. Num. 15. 35. 36.

r Josue 7. 25. Et 4. Reg. 21. 13.

s Numer. 25. 19. Deut. 19. 12.

t Deut. 22. 18.

u Josu. 10. 26.

x 1. Regum. 15. 33.

y 1. Reg. 22. 18.

z 2. Reg. 4. 12.

a 2. Reg. 1. 15.

b 2. Reg. 21. 9.

\* 3. Reg. 2. 28.

c 1. Machab. 2. 24. 25.

d Marc. 6. 27.

e Matt. 27. 27.

f Joseph. l. 4. de bell. c. 5. Latin. Et 11. Græc.